NICOLAO . BEDINIO

PONTIFICI

TARRACINEN . PRIVERNAT . SETINOR.

AVSPICATISSIMO. DIE . V . ID.IAN . MDCCCLIV.

QVO . DIE . SACRATVM . CAPVT

PONTIFICALI . INFVLA . DECORATVR

SEM . ROM . MODERATOR . ET . ALVMNI

AMPLISSIMO . HONORE

MAGNIS . VIRTUTIBVS

REDDITO

DECESSORI . SVAVISSIMO

PARENTI . OPTIMO

PLAVDVNT . GRATVLANTVR

NICOLAO BEDINIO

PONTIFICI

TARRACINENSIVM PRIVERNATIVM ET SETINORVM

IAM SEMINARII ROMANI MODERATORI

FELIX PROFILIVS

S. P.

Cuius est, Antistes amplissime, nisi mei die hoc bono, ac auspicato, quo sacra infula decoraris, nonnulla Tibi adolescentium sacri huius ephebei carmina offerre? Mei, inquam, est, cum iam tricesimus sit annus, ex quo uti unum eumdemque locum tenuimus, sic unum eumdemque animum habuimus. Pene sub idem tempus ad regendam ornatissimam iuventutem, quae in Ecclesiae Romanae spem succrescit, ambo vocati, ita in hoc munere sumus versati, ut labores et gaudia communia semper fuerint: et Deo uni, qui hominum animos movet ac moderatur, laus est tribuenda, quod nos inter nunquam concordia et pax fuerit imminuta, nec grave unquam mihi sit visum tuis dictis, tuisque nutibus parere. Nunc autem ita iubente Illo, qui Dei vices in terris gerit alter ab altero divellimur, Tibique iam alii pascendo gregi designato in eo munere succedo, cuius partes te rectore sapientissimo nec difficiles nec molestae erant, modo autem meis mihi viribus maiores videntur. Sed haec quasi supervacanea in praesens duco: illud certum est Te quamprimum a tuorum latere esse seiungendum. Quare ante tuum discessum accipe primum suavissimae huius iuventutis gratulationes et plausus ob munus quod Tibi

a Pontifice Maximo PIO IX. pro meritis delatum est; et item gratiarum actiones pro beneficiis plane maximis, et benevolentia paterna, qua singulos ipsorum et universum hoc Seminarium es complexus. Dolorem autem et animi aegritudinem, qua Tui desiderio nunc anguntur, ea cogitatio minuit, Te licet absentem eumdem erga ipsos amorem servaturum. Testes autem tum gratulationum tum animi memoris sint hi versus, quos ii per me Tibi dicant, plures quidem futuros, si per tempus, vel per scholasticos labores licuisset. Habebis etiam aliud munusculum, veluti mnemosynon, quod iidem alumni dant, virique ecclesiastici, qui cum in Seminario degant, plurimis annis tecum in pulcritudine pacis vixerunt, illudque ante oculos positum te quotidie admonebit, quam dulce et iucundum Tibi fuerit tempus illud, quo nos filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae simul concordes sedebamus. De me autem, quid amplius dicam, nescio; et cum nihil possim, dies noctesque Deo preces humiles, ac fervidas admoveam, ut valeas ac vigeas animo, atque inde gregi tuo aeternae inprimis faustitatis fructus afferatur.

Etiam atque etiam vale. V. Id. Ian. A. MDCCCLIV.



TRIMETRI



Romano olivo Vestris Pastor finibus
Sacratus aderit, digna et fulgens infula.
Gaudete o cives, quotquot Ufens alluit
Opimis labens arvis Pontina in vada.
Novis, sic vivam, vestra sors augens bonis
Crescet, futura haud impar saeclis aureis,
Iam satis, ut nil sit reliqui ad laudem maximam.
Viro quae pietas, qui virtutis haereat
Amor, quae mens adversis nescia concuti,
Sensit flos juvenum sacram ad umbram consitus,
Allapsa unde alis iamdiu pernicibus
Late promendas fama res vulgaverit.
Fide, o dilecta caelo gens, felicibus
Auspiciis dexter nam paratur exitus:
Fide agedum : tanto cum videbis Praeside
Iniecta vitiis fraena, cultu splendidam
Novo virtutem, tuta urbana et otia,
Dies nitere candidos, mores bonos,
Una erit haec mens, una omnibus vox excidet:
Nae nobis toto Praeses orbe maximus,
Sacrorum, Patre, Pius, consuluit optimo.

L. L.
olim P. S. R. Alumnus.



AL NOVELLO VESCOVO

NELL'ATTO DELLA SUA CONSECRAZIONE

EPIGRAMMA



Ingredere, o felix, ne cesses, templa Sacerdos,
   Iam propiore Dei numine sancta domus
Contremuit: Superum cantu fremit aura : morari
   Anxuris ille potens Angelus atque vetat.
Perge age, concordes stabili iam foedere tandem
   Oscula miscuerunt Lia, Rachelque simul.
Illa tibi populos credit NICOLAE regendos;
   Provehit haec mentem ad gaudia caelituum.
Perge age; sancta Fides ramum felicis olivae
   Iam parat et vittas, sceptraque dius Amor.

B. G.
olim P. S. R. Alumnus.





A

MONSIGNOR NICOLA BEDINI

ASSUNTO AL VESCOVADO

DI TERRACINA PIPERNO E SEZZE

NEL GIORNO DI SUA CONSECRAZIONE

8. *Gennaro* 1854.

SONETTO

Almo Pastor, quell'onorata verga
Ch'oggi T'affida il Successor di Piero,
Novo Ti schiude di virtù sentiero,
Onde chiaro il Tuo nome al Ciel s'aderga.
Quanto nel cor Senno e Pietade alberga
Poni ora a schermo del Tuo mite impero;
Sì per Te fia che il lupo ingordo e fero
Nulla del caro ovil parte disperga.
Bello il mirarti, fulminate e dome
L'ire d'inferno, e di sue spoglie carco
Del lauro trionfale ornar le chiome:
Indi a la greggia glorioso Duce
Mostrarti, ed additar securo il varco
Che a'dolci paschi e pure linfe adduce.

GAETANO ALOISI
già Alunno del P. S. R.





VERSIO EIVSDEM

HEXAMETRI

Quam virgam Petri regno, sceptrisque potitus,
Alme, tibi, Pastor, defert Pius, illa recludit
Virtutum callem, quo se tua tollat ad astra
Fama volans certis innixa per ardua pennis.
Quod siqua e caecis, ubi nunc latet, excita silvis
In tua sceptra furens ruat unquam obscena luporum
Turba, haec virga alios valido deleverit ictu,
Disiectos alios nota exturbarit ad antra.
Quod decus oh! quae pulchra tuis aut gratia rebus
Accedet, cum, detrusis sub tartara monstris,
Raptisque exuviis, veles tua tempora lauro!
Inde ubi te gregibus dux parto insignis honore
Restituas, tutum doceasque per invia callem!
Qua laetos iter ad campos, undasque nitentes.

VBALDVS VBALDI
P. S. R. Alumnus.





A

MONSIGNOR NICOLA BEDINI

CHE IL GIORNO 6. DECEMBRE 1853.

RICEVETTE

LA NUOVA DI SUA PROMOZIONE

A VESCOVO DI TERRACINA, PIPERNO, E SEZZE

SONETTO

Nel dì che sagro al nome Tuo si chiama,
In quella che nel mar si bagna il sole,
E la ridente Stella, che dice ama
Apre all'umida notte le carole :
Con cento bocche e cento a noi la fama
Movea dall'alta Vaticana mole,
E del Gran PIO un'ispirata brama
Diffondeva d'intorno, e le parole :
» Per la virtù di Lui che in guardia gli agni
» Dièmmi del gregge suo, quelli T'affido
» Che Ofente ed Amaseno (*) avvien che bagni.
Surse a tal voce di letizia un grido
Da' verdi prati, e da'Tirreni stagni,
E il Cielo risuonò : quelli T'affido.

Cesare Roncetti
Alunno del P. S. R.

(*) *Due fiumi che bagnano le tre diocesi.*



IMPRIMATUR
Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed.
Sac. Pal. Ap. Mag.
IMPRIMATUR
Fr. Ant. Ligi Arch. Icon.
Vicesgerens